

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.





1681.

1. Beckmann, Joh. Volk. : De favore rei in Crimi-  
nalibus.
2. Beckmann, Joh. Volk. : De actorum publicorum aucto-  
ritate.
3. Beckmann, Joh. Volk. : De donationis excedentis D. solidos  
speciali jure.
- 4<sup>at</sup> Bieren, Roricus : De umbra Von Schattenrecht  
2 Exempl. 1680 : 1739
5. Bremen, Joh. Georgius : De tractatibus.
6. Faschius, Augustinus Henricus, Collegii med. decanus :  
ad Disputationem inauguralem Georgii Friederici  
Stephiani iurata.
7. Kraus, Rudolphus Wilhelmus, : Decanus Collegii medici :  
ad Disputationem inaug. Johannis Bloccii iurata.
- 8<sup>at</sup> Lynckerus, Nicolaus Christophorus : De amputatione  
membrorum in his, qui delinquant. 2 Exempl. 1681 : 1742.





1681.

9. Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De cautione usufructuaria

10<sup>a et</sup> Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De vi legis in praesentem. 2 Saemph. 1681 i 1733.

11<sup>a et</sup> Müllerus, Petrus: De nova causa. 2 Saemph. 1681 i 1733

12. Müllerus, Petrus: De servitutibus personaribus.

13. Müllerus, Petrus: De subtili disputandi ratione in causa publicae utilitatis rejicienda.

14<sup>a et</sup> Müllerus, Petrus: De concordia discordantis Germaniae.

15. Müllerus, Petrus: De praescriptione Saxonica.

16<sup>a et</sup> Müllerus, Petrus: De eversione suspicionis 2 Saemph. 1681 i 1715

17<sup>a et</sup> Müllerus, Petrus: De pecunia statibus temporibus solvenda.



1681,

18<sup>a</sup> <sup>b</sup> Mallerus, Petrus: De favore salarii 2 Junii. 1681.

1713.

19<sup>a</sup> <sup>c</sup> Mallerus, Petrus: De praecupatione facti.  
2 Junii. 1681 i 1713

20. Mallerus, Petrus: De evitacione majoris mali

21. Minck, Johann Christophorus: De exceptione inhabili.  
factis contra advocatum.

22. Roth, Henricus Balhus: De actione in factum  
ex iuramento.

23. Rothius, Henricus Balhus: De resignatione  
dominii judiciali.

24. Stevoglius, Philippus: Jur. utriusque Prof. ord: Juris.  
prudentiae cultores ad praedlectiones publicas in  
libros Institutionum invitat.

25. Stevoglius, Philippus: De conditionibus institutionum

26. Stevoglius, Philippus: De obligatione naturali.







DISPUTATIO <sup>13</sup>  
DE <sup>1681/12</sup>  
SERVITUTIBUS  
PERSONALIBUS,

Quam <sup>16</sup>

PRÆSIDE  
PETRO MÜLLERO,

J. U. D. & Prof. Ordin.

Ad d. 12 Novembr. cl. lcc LXXXI.

In Auditorio ICtorum

publicè ventilandam sistit

HENRICH EMERICH BEERMAN.  
Esvvezenfis.

---

GENÆ, Charactere NISIANO.



VIRIS  
*Nobilissimo, Clarissimo, Spectatissimo, Prudentissimis ac  
Doctissimis Dominis.*

DOMINO  
JOHANNI CHRISTOPHORO,  
GILLENIO

Advocato ac polygrapho apud Eschvvecenses  
meritissimo

DOMINO  
CHRISTOPHORO SCHILLINGIO,  
Philosophiæ Magistro ac Sub-Conrectori itidem  
solertissimo

*ut &*  
DOMINO  
FRIDERICO DIRKSEN,  
Rei Metallicæ præfecto ibique locorum  
indefesso,

*Affinibus suis percharissimis, fautoribus ac mæcenatibus, nunquam non  
devenere, colendis*

HOC EXERCITIUM ACADEMICUM  
in signum gratitudinis & aliqualis compensationis tot  
acceptorum beneficiorum

*Devota manu*

D. D. D.

HENRICH EMMERICH BEERMANN.



(o)

DISPUTATIO

De  
Servitutibus <sup>[a]</sup> Personalibus.

THESIS I.

**S**ervitus *Personalis* est, qua res personæ servit. Quæ iterum dividitur in *plenam* & *minus plenam*. Plena vocatur *Ususfructus*, qui omne emolumentum continet, & non solum ad necessitatē & commoditatem, sed etiam ad voluptatem competit. Minus plena est *Usus & Habitatio*, quarum ille ad *necessitatem*, hæc in super ad *commoditatem* conceditur. Sunt autem servitutum personalium tres species.

Th. II. *Prima species est Ususfructus*. Describitur: quod sit jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia *pr. Inst. d. usuf.* Dicitur *Jus*, h. e. potestas jure tributa; *Alienis rebus*: cum res sua nemini serviat *l. 5. in pr. ff. si usufr. pet.* Verbis *utendi fruendi* separatur ususfructus à cæteris servitutibus omnibus; Additur: *salva rerum substantia*, ut intelligam⁹ quis sit utendi fruendi modus, quibusque in rebus consistat, scil. in iis, quæ non pereunt.

Th. III. *Dividitur [b] in proprium s. verum, & improprium s. quasi*. Verus ususfr. dicitur, qui in illis rebus constituitur, quæ usu non consumuntur, §. 2. *Inst. d. usufr.* Quasi ususfructus constituitur in rebus, quæ usu consumuntur *t. t. ff. d. usufr. ear. rer. quæ us. cons.*

A

Th. IV.

[a] *De servitutibus personalibus* scripsit. Caspar. Manzius. Jul. Pacius. Ferdinand. Waizenegger. *de Ususfructu, Usu & Habitatione* Mart. Ludenius. *De Ususfructu* Heltr. Ulr. Hunnius. Marcus Aur. Galvanus. Johann del Castillo. Gabr. de Bellis. *De Habitatione* D. Nic. Christ. Lyncker. [b] Dividitur quoque à DD. in *Causalem* & *Formalem*. Causalis à causa domini dictus, est jus utendi fruendi cum proprietate conjunctum, prout dominus rebus suis utitur *l. 4. d. usufr.* Formalis, à forma, quam à dominio separatam habet, di-



TH. IV. *Causa efficiens est vel Dispositio legis, vel Sententia Judicis, vel Voluntas Domini.* Lex usufructum immediate sine facto hominis concedit (1) *Patri [c]* in bonis liberorum adventitiis tam de jure civili §. 1. *in fin. Inst. per quas person. l. 6. C. d. bon. qua lib.* quam Saxonico Landrecht lib. 1. art. 11. vid. Lauterbachii *diff. d. usufr. paterno. th. 8.* (2) *Patri* in bonis emancipatorum pro dimidia parte quasi pro pretio §. 1. & 2. *Institut. per quas person. cuiq. acqu.* (3) *Mulieri nobili* in bonis mariti ratione dotis illatae, de jure in primis Saxonico, post obitum ejus, in iis scil. quae in dotalitium sunt constituta Hartmann Pistor. *lib. 1. qu. 4.* (4) *Mulieri ad secundas nuptias transeunti* de jure civili competit usufr. in illis bonis, quae ex quocunque lucrativo titulo accepit à marito, vel ex successione filiorum primi matrimonii *l. 3. C. d. secund. nupt.* quod & in patre procedit *l. 5. C. d. eod.* Sententia Judicis in *judiciis divisoris*, quando nimirum familiae heriscundae, communi dividendo & finium regundorum uni proprietatis, alteri usufr. adjudicatur, & quidem si res communis nullam aut difficilem admittat divisionem *l. 6 §. 1. ff. d. usufr. l. 55. ff. famil. herisc.* Voluntas domini est vel *expressa, vel tacita*. Expressa vel *inter vivos, vel per ultimam voluntatem.* Inter vivos *pactionibus & stipulationibus §. 1. Inst. d. usufr. l. 3. ff. eod.* quilibet enim moderator rei suae & arbiter est *l. 21. C. mandat.* modò accedat *quasi traditio*, utpote si res ipsa verè & naturaliter tradatur *l. 2. ff. d. usufr.* per usum acquirantis & patientiam constituentis *l. fin. ff. d. servit.* Per ultimam voluntatem constituitur *dupliciter, vel enim legatur usufructus* (d) re.

Usus, est jus, quo quis re aliena utitur fruitur; Et hic usufr. est servus & hujus loci. [c] De jure quidem communi ad dies vitae suae *l. 1. §. 2. C. d. bon. matern.* De jure verò Saxonico pater usufructum habet, donec liberi ab ipso separentur Coler. *p. 1. decis. 41. n. 3.* Carpz. *p. 2. c. 10. d. 7.* In quibusdam tamen bonis adventitiis contra ordinariam ipsorum indolem non ita pluculum patri indultum deprehendimus: tametsi jure succedendi in illis non privetur Carpz. *d. l. d. 15.* Cujusmodi sunt (1) quae filiis aut filiabus obvenerunt ex hereditate fratris aut sororis, in quam viritum simul cum iisdem successit Nov. *118. c. 2. Verf. Si Verò. Auth. ite C. d. bon. qua lib.* (2) Quae ipsis ab avo, quin etiam hodie ab extraneo donata vel relicta sunt facultate patri de usufructu participandi omnimodè præcisâ Nov. *117. c. 1.* (3) Si certæ



(d) retenta proprietate hæredi, vel contra legatur proprietas, ita ut ususfructus sit hæredis §. 1. *Inst.* & l. 3. ff. d. *usufr.* Tacita voluntas est, si quis patitur per præscriptionem rem suam usucapi, tunc tacite censetur alienare l. 28. ff. d. *V. S.*

TH. V. *Subiectum* sunt personæ tum *constituentes*, tum *acquirentes*. *Constituentes* (1) *Legislator*, (2) *Judex* (3) *Dominus*. *Acquirentes* (1) *Pater* ex supra dictis causis, (2) *Mater* in casu l. 3. C. d. *sec. nupt.* (3) *Socii* ex sententia iudicis in dictis illis tribus iudiciis divisoriiis. (4) *Alii* qui aliàs res ex ultima voluntate vel inter vivos acquirere possunt. (5) *Personæ fictæ* veluti *Universitas*, *Collegia*, *Corpora*, *Ecclesia* l. 23. C. d. *SS. Eccl.* *Civitas* l. 56. ff. d. *usufr.*

TH. VI. *Objectum* sunt omnes res, quarum natura fructuioni [e] accommodata est, sive sint mobiles, sive immobili-

A 2

les,

rei usufructus libere relictus sit; quippe servitus servitutis non datur l. 1. ff. d. *usufr.* leg. (4) Si recusante patre filius relictum sibi recipiat l. fin. §. 6. *vers. si vero* C. d. *bon. qu. lib.* (5) Si parens filio remittat usufructum d. l. 6. (6) Si ea lege servus detur, ut confestim in libertatem perducatur d. l. fin. (7) Si filius fundum acceperit, cum illud adinstar quodammodo peculii castrensium vel quasi contemplatione servitorum videatur arg. 1. *feud. 19.* Hunn. *disp. feud. 3. th. 39.* Q. *Num etiam matri usufructus debeat?* Resp. Regulariter non competit. Verum de consuetudine vel statutis quorundam locorum usufructus matri conceditur Richter. p. 1. *decis. 18.* Modò onus educandi, alimentandi & tutelam administrandi non repudiet. [d] Q. *Si fundus alicui fuerit legatus ad utendum & fruendum, das Guth zu nützen und zu gebrauchen/an usufructus saltem, an vero proprietatem legata censeatur?* Et non tam usufructum, quam proprietatem legatam censeari DD. communiter docent per l. 4. ff. d. *alim. vel cibar. leg. l. ult. ff. d. usufr. ear. rer. qua us. consum.* Si enim causa, quæ respicit favorem legatarii, est adjecta legata, tunc ea legatum non restringit, sed demonstrationis saltem gratia legato censeatur apposita Menoch. *lib. 4. pras. 133. n. 11.* Carpzov. p. 3. c. 13. d. 9. Nisi ex circumstantiis aliud appareat, ut si tempus aliquod fuerit adjectum, & legatum ad dies vitæ restrictum l. 34. §. 4. ff. d. *legat. 2.* Carpzov. d. l. n. 7. & 8. Quandoq; tamen etiam proprietatem legata censeatur, licet fundus ad utendum & fruendum alicui, quam diu vixerit, legatus fuerit, quod vel ex coherentia verborum, vel testamenti contextu, vel favore personæ vel potestate alienandi, aliisque circumstantiis colligi potest Carpz. d. l. *def. 10. & seq.* De usufructu legato plura vide apud Harprecht. *ad Inst. d. legat. §. 21. n. 8. & seqq.* [e] Fructio ista consistit in usu. Usus autem præbent non tantum quæ naturaliter poterunt ex ipso rei corpore præbere, sed etiam fructus quæ civiliter occasione rei; Etiam earum rerum, quæ solum ornant, usufructui potest



les ; sive corporales , sive incorporales. Sic usufructu jurisdictionis concessio multas & pœnas pecuniarias pertinere ad usufructuarium tanquam fructus jurisdictionis ex Bart. in l. fin. ff. sol. matr. refert Schneidevv. ad §. 2. Inst. d. usufr. n. 1.

TH. VII. *Forma* usufructus est *vel Essentialis*, quæ consistit in cautione , quam regulariter usufructuarius proprietario præstare tenetur , si ab eo petatur Schneidevv. ad pr. Inst. d. usufruct. n. 11. & hæc in testamento remitti nequit Wesenb. conf. 9. n. 17. Philipp. in usu pract. Inst. lib. 2. eccl. 28. In vero & proprio usufr. debet usufructuarius cavere de utendare arbitrio boni viri, [f] eaque finito usufructu restituenda l. 1. in pr. §. 3. & §. 6. ff. usufr. quem. cav. In improprio s. quasi usufructu tenetur cavere de restituendo ad æstimationem rei usu consumptæ vel eandem qualitatem , quam ipse accepit l. 7. ff. d. usufr. ear. rer. qu. us. conf. Cautio verò debet esse idonea, quæ scilicet sit datis [g] fidejussoribus l. 4. C. d. usufr. l. 6. §. 1. vers. si idoneam C. d. secund. nupt. Vel est *Accidentalis*, quæ consistit in *adjectione temporis vel conditionis*. Usufructus enim, tam purè ; quàm sub conditione, item ex die & ad diem constitui potest l. 4. ff. d. usufr. l. 16. & seq. ff. quibus mod. usufr. amitt.

TH. VIII. *Finis* est, quòd quis re aliena utatur fruatur. Quo ipso etiam *differentia specifica* exprimitur, ut distinguatur à reliquis speciebus servitutum personalium & realium.

TH. IX. *Effectus* est (1) ut omnes redditus, obventiones [h] & commoda sive naturalia, sive industrialia, sive civilia sint, perci-

---

veluti Gemmarum, illa enim recreatio, iste ornatus hîc pro usu est l. 28. ff. d. usufr. Sic imaginum quoque & statuarum usufructus datur l. 41. pr. ff. d. usufr. [f] Usufructuarius enim causam proprietatis deteriore facere nequit l. 9. in pr. & l. 13. §. 4. ff. d. usufr. Et hinc propter deteriorationem ad interesse tenetur l. 1. §. 5. ff. usufr. quemad. cav. Köppen. dec. 33. n. 2. & seqq. Carpz. p. 3. c. 20. d. 33. [g] Q. Si usufructuarius propter inopiam fidejussores habere non potest? Resp. neque de juris rigore, neque ex commiseratione ad juratoriam cautionem est admittendus, usufructu tamen non est privandus, sed res fructuaria, salvâ tamen usufructus præstatione vel sequestrari, vel proprietario tradi potest l. 6. §. fin. C. d. sec. nupt. Köppen. d. l. n. 17. proprietarium tamen de præstando usufructu hoc casu cavere debere rectè docet Köppen. d. l. n. 19. [h] Quid de fodinis metallorum aliorumq; pretiosorum mineralium dicendum?



percipere possit *l. 7. l. 9. in pr. & l. 59. §. 1. ff. d. usufr.* modò secundum conditionem cuiusque rei & ad eum usum, ad quem res destinata & parata est, percipiat, & in utendo fruendo arbitrium viri boni adhibeat. (2) A proprietario in utendo fruendo non debeat impediri vel turbari *l. 5. §. 1. & ult. ff. si usufr. per.* multò minus verò usufructus attenuari vel prorsus eripi potest. Sic mulier bona sua absque consensu mariti non potest alienare *Landrecht lib. 1. art. 31.* (3) Ususfructuarius non solùm ipse re fructuaria frui, sed etiam jus sibi in ea constitutum ceu emolumentum vel exercitium usufructus [i] alii vendere, locare, gratis concedere & pignori dare potest *l. 12. §. 2. ff. d. usufr.* Philipp. *in usu pract. Instit. lib. 2. eccl. 29.* (4) Eum tamen sequantur etiam incommoda *l. 10. ff. d. R. J.* ita ut ad reparationem propriis sumptibus faciendam, ut & expensas causam usufructus concernentes, aut fructuum colligendorum causa factas, item tributa, collectas, onera & reliqua realia gravamina solvenda [k] teneatur *l. 28. ff. d. us. & usufr. leg.* Carpz. *p. 1. c. 32. d. 50.* (5) Ususfructuarius repetere potest non solùm quod præteritorum, onerum causa solvit, Harpprecht *ad §. 2. Inst. d. usufr. n. 157.* sed etiam meliorationem in re usufructuaria factam *l. 9. in pr. ff. d. A. R. D.* Carpzov. *p. 3. c. 31. d. 9.* nec non si onera magna sint, ut usum fructum planè superent & absorbeant, tunc etiam usufructuarius id quod excedit, repetere potest. *arg. l. 7. §. fin.*

A 3

sol.

Resp. Illæ tam jure gentium, *Molin. d. just. & jur. tr. 2. d. 54.* quam civili dominis eorum competunt *l. 15. §. 1. ff. comm. prad.* unde in usum fructum rectè conceduntur *d. l. 7. §. 14.* quo casu fructuarius venas non injuriã inquirat, dum ne agriculturæ officiat *d. l. 13. §. 5.* Hodie regalibus aggregatæ sunt. *2. f. 56. Heig. 1. qu. 13. n. 42.* Quid, si thesaurus in fundo fructuario invenitur? Hic fructuario non obvenit *arg. d. l. 7. §. 12. ff. d. A. R. D.* Struv. *Synt. jur. civ. ex. 101b. 17.* eò quod non renascitur, nec cum fundo quid commune habet *l. 3. §. 3. ibiq. & Gloss. in verb. capiss. d. acq. poss.* Quid de incrementis an cedant fructuario? Respond. Latentia, puta si quid fundo per alluvionem adjiciatur, per accessionem ad eum redeunt *pr. Inst. h. t.* Philipp. *in us. pr. Instit. Eccl. 27. lib. 2.* Patentia verò non item, cujus generis est insula propè fundum in flumine renata, quippe quæ fundum proprium repræsentat, eoque ejus usufructus non tenetur *l. 9. §. 4. ff. n. usufr.* Carpz. *p. 3. c. 13. d. 17.* [i] Sic mulier ipsum dotalitium locare potest, licet fundum feudalem, in quo dotalitium habet, non possit alienare *Urthel. post Landr. tit. von Leibgedinge* Carpzov. *p. 2. c. 42. d. 9.* [k] Horum enim con-



*fol. matr. Klock. d. contrib. c. 11. Carpzov. lib. 1. resp. 105. n. 12.*  
 (6) Tenetur usufructuarius, si gregis vel vineæ vel alterius universitatis usufructus alicui fuerit concessus, in locum demortuorum vel inutilium capitum alia substituere [1] §. 38. *Inst. d. r. div.*  
 (7) Usufructuario competunt remedia pro retinendo, recuperando & acquirendo tranquillo usu juris sui; uti est (1) actio ex testamento ad quasi possessionem consequendam, si usufructus sit legatus *l. fin. C. d. usufr.* (2) Actio confessoria adversus quemcunque possessorem, vel qui usufructuarium non patitur liberè frui *l. 1. pr. l. 5. §. 1. & tit. si usufr. pet.* (3) Interdictum unde vi *l. 3. §. 13. 14. 17. ff. d. vi & vi armat.* (4) Interdictum uti possidetis *t. t. ff. uti possid.* (5) Interdictum quod vi aut clam *l. 12. ff. quod vi aut clam.* (6) Utilis actio Legis Aquiliæ, si scilicet damnum fructibus illatum fuerit *l. 11. §. fin. l. 12. ff. ad L. Aquil.* vel ipsa res ex qua usufructuarius potuisset usufructum percipere, alterius culpa fuerit perempta *l. 17. §. fin. ff. d. usufr.* (7) Actio de servo corrupto *l. 66. ff. d. usufr.* (8) Actio injuriarum *d. l. 66.* (9) Actio finium regundorum *l. 4. §. 9. ff. fin. regund.* (10) Actio communi dividundo utilis *l. 13. §. 3. ff. d. usufr.* (11) Potest usufructuarius novum opus nunciare *l. un. ff. d. remiss. l. 1. §. fin. d. oper. novi nunc.* servitutes fundo debitas vindicare *d. l. un. ff. d. remiss. & cautionem de damno infecto exigere l. 13. §. 8. ff. d. damn. infect.*

TH. IX. *Contraria* sunt (1) Mors usufructuarii [m] naturalis §. 3. *Inst. eod. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. usufr. amitt.* (2)

Mors

templatione ipsa prædia non personæ conveniuntur, h. e. non de domino, sed de possessore queritur, ut eleganter ait Franzk. *exerc. 4. quest. 7.* idque ordinariè, sive extraordinariè sint imposita *l. 27. §. 3. ff. d. usufr.* Carpzov. *p. 1. c. 32. d. 50. n. 2. ult.* quò ruunt etiam servitia militaria Richt. *dec. 20. n. 4.* Id quod etiam in patre, cui usufructus in peculio liberorum adventitio erat, moris est Richt. *d. l. n. 8.* [1] Hoc verum est (1) Si culpa usufructuarii intervenerit; Secus, si res casu fortuito, vel sine culpa & dolo usufructuarii perierit Carpz. *p. 2. c. 26. d. 9.* (2) Si usufructuario totius universitatis usufructus fuerit relictus; secus, si tantum singulorum capitum Schneidevv. *ad §. 38. n. 12. Inst. d. R. D. Carpzov. d. l. num. ult.* [2] Usufr. enim est servitus personalis, & cum persona extinguitur *l. 1. in pr. ff. d. constit. princ.* Hinc dicitur: *Usufructuarium vivere ut locupletem, sed mori, ut mendicum;* nec ad hæredes ejus transmittitur, nisi testator in suo testamento, vel partes inter sese aliud disposuerint Hunn. *d. usufr. p. 1. cap. penult.*



Mors civilis, quæ contingit per maximam & mediam [n] capitis diminutionem *l. 16. in fin. C. b. t.* (3) Non utendo, ut si usufructuarius re fructuaria planè non utatur, neque per se, neque per alium *l. 38. 39. & 40. ff. d. usufr.* vel non debito & constituto modo; neque etiam per tempus [o] legitimum (4) Cessione vel abdicatione domini [p] proprietate facta *§. 3. Inst. b. t. l. 78. d. jur. dot.* ita ut per hanc cessionem usufructus proprietati jungatur, & qui antea jure servitutis competebat, extinguatur. (5) Consolidatione, quando proprietarius suam proprietatem cedit usufructuario, vel hic alio modo proprietatem, acquirit *d. §. 3. & l. 21. §. 3. ff. d. except.* (6) Finitur usufructus totius rei fructuariæ interitu & mutatione, quia usufructus est jus in corpore, quo sublatò ipsum jus quoque tollitur *pr. & §. 3. Inst. b. t.* Si verò pars saltem pereat, tunc in eo quod superest, usufructus retinetur *l. 53. l. 60. ff. eod.* (7) Finito Tempore; quando enim usufructus ad certum tempus vel sub conditione est concessus, tunc eo elapso, vel conditione existente, extinguatur etiam usufructus *l. 17 & l. 27. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Köppen *l. 1. obs. 84. n. ult.* Hæc de vero usufructu De quasi usufructu [q] vid. Tit. ff. d. usufr. ear. rerum quæ us. consum. ibique D. Struv. in syntagm. jur. civil. exerc. 12.

TH. X. *Secunda Species est Usus, qui est servitus personalis rebus alienis utendi salva illarum substantia. Quoad causas nihil*

*sect. 1. qu. 1.* [n] Secus est in minima capitis diminutione ex Constitutione Justiniani, quæ extat in *l. 16. §. ult. C. b. t.* [o] quod est in mobili triennium, in re immobili inter præsentem 10, inter abentes 20, annorum *l. penult. §. 1. C. eod. l. ult. C. d. præscr. long. temp.* De jure Saxonico requiritur præscriptio unius anni in re mobili, & 50. annorum, anni unius & trium dierum in re immobili. [p] Secus est in cessione extraneo facta *d. §. 3. & l. 66. d. jur. dot.* quia usufr. est jus personale, quod regulariter non potest cedi *l. 42. ff. d. administr. & peric. int.* [q] Senatus Romanus ob favorem ultimarum voluntatum fecit, ut constitui possit quasi usufructus, i. e. jus in iis rebus, quæ usu consumuntur, ut ejus fiant, cui traduntur, & finito hoc jure res ejusdem quantitatis & qualitatis aut æstimatio ea restituatur *l. 1. l. 2. l. 7. ff. d. usufr. ear. rer. quæ us.* Q. An etiam per conventionem inter eos quasi usufructus constitui possit? Negat Wesenb. ad *§. 2. Inst. d. usufr.* Treutl. *sol. 7. disp. 10. sb. 2. in fin.* Affirativam probat Colleg. Argentoratense ad *inst. d. usufr. ear. rer. sb. 2.* hoc argumento: Quæcunque legari possunt, scilicet sunt in commercio, & hominum contractibus subjecta *§. 4. Inst. d.*



nihil differt ab usufructu, iisdem enim modis constituitur, quibus usufr. *pr. Inst. d. usu & hab.* Et quoad Personas nihil differt; eadem enim usum constituere possunt & acquirere, quæ usufr. nisi quod circa res & quidem fungibiles differat, ut in iis constitui quidem possit quasi usufructus, non autem quasi usus, quia talis quasi usus nihil aliud esset, quàm quasi usufructus *arg. l. 10. §. 1. ff. d. usufr. ear. rer. qu. us. cons.* Usuarius quoque tenetur cavere *l. 5. §. 1. ff. usufr. quem cav.*

TH. XI. *Differt usus ab Usufructu;* Plus enim juris est in hoc, quàm in illo; Nam usufructuarius rebus simul uti & frui potest, non solum pro suâ, sed etiam pro aliorum necessitate; Usuarius verò utitur rebus ad necessitatem & usum quotidianum, non ad compendium, nec ad voluptatem, sed quantum sibi [r] suisque sufficit *l. 12. §. 1. & seqq. ff. b. t.* Hinc vendere aut alienare usum non potest, arboribus evulsis *l. usufructarii ff. d. usufr.* Neque rem in usum sibi concessam alteri locare potest, *§. 1. in fin. Inst. b. t.* nisi constituens hoc ipsum concesserit, vel expressè vel tacitè. Imò usuario pecoribus tantum ad stercorandos agros uti licet *l. plen. §. sed si pecoris ff. eod.* Neque in re usuarium cum hospitibus turpiter viventibus, sed per se cum familia sua vivere debet *l. non aliter ff. eod.*

TH. XII. *Tertia species est Habitatio, quæ est Jus ædes alienas inhabitandi.* Quoad causam & efficientem & subjectum, itidem nihil differt ab usufructu. *Objectum* sunt ædes alienæ. Differentia à reliquis vide *in coroll. ad b. disp.*

*egat. l. 39. §. fin. ff. d. legat. 1. usufructus earum rerum quæ usu consumuntur, legari potest t. t. ff. d. usufr. ear. rer.* E. est in commercio & hominum contractibus subjacet, & proin inter vivos constituti potest. *Q. Quomodo quasi usufructus differat à mutuo?* Resp. in mutuo nulla est necessaria cautio, quæ tamen in quasi usufr. est necessaria. In mutuo res eadem in genere est restituenda, in quasi usufructu verò vel res, vel æstimatio ejus *§. 2. Inst. b. t.* Mutuum non extinguitur morte vel capitis diminutione, sed quasi usufructus. An vestimentorum sit verus usufructus, an quasi? vid. Colleg. Argent. *ad tit. d. usufr. ear. rer. th. 3. Hahn. u. Wesenb. ff. eod.* [r] Id quod æstimandum est ex usuarii dignitate & familiæ amplitudine *l. 12. §. 1. ff. b. t.* Usuarius enim cum tota sua familia re in usum concessa uti potest. Hinc si maritus usum habet, uxor quoque uti potest, & vicissim *l. 4. §. 1. l. 9. ff. eod.* etiamsi matrimonium post constitutum jam usum sit contractum *d. l. 4. §. 1. Socerum quoque & Nurum recipere licet l. 5. C. b. t.*



## I.

**H**abitatio differt ab usufructu & usu, quod hitam in rusticis, quam in urbanis prædiis indifferenter constituentur; Habitatio verò tantum sit urbanorum prædiorum *l. cum antiquitas C. eod.*

## II.

Habitatio differt ab usufructu ædium, quòd hic omne emolumentum, quicquid ex ædibus ulla ratione etiam tabernis, locis subterraneis & similibus percipi potest, contineat; Habitatio verò ad commodum habitantis sit restricta Hahn. *ad Wesenb. ff. b. t.*

## III.

Habitatio differt ab usu ædium, quòd hinc restringatur ad quotidianam necessitatem usuarii; habitatio verò sit aliquando jus, & aestimetur à toto proventu habitandi, hinc & is, qui habitationem habet, alteri eam locare potest *§. 5. in fin. Inst. d. us. C. habit.*

## IV.

Habitatio non finitur capite diminutione aut non utendo, sicut usufructus & usus; sed tantum morte naturali *l. si habitatio in fin. pr. ff. eod.* quia habitatio est species alimentorum, in quibus potius factum, quam personæ conditio attenditur *l. legatum ff. d. cap. dim.* vide quæ eleganter habet D. Lyncker *diff. d. iure habitationis sect. 7. memb. 1. 2. C. seqq.*

## V.

Tacite concessi usus intelligitur (de qua in th. II. huj. diss.) tum ex qualitate usuarii v. gr. Si aurigæ usus equi sit concessus, tum etiam concessum videtur, ut equum alteri locare possit *l. 12. §. 4. ff. b. t.* tum ex qualitate ipsius rei, si scil. usus aliàs plane esset inutilis, si eam locare non liceret; veluti si sylvæ usus sit concessus; tunc enim usuarius cedere & vendere ligna potest *l. 22. ff. b. t.* vid. Philipp. *in us. præct. Inst. lib. 2. eccl. 30.*

Pro-



**P**ropter præclaros usus pulcherrima res est  
Servitus, & secum commoda multa gerit.  
Efficit, ut magnum vicinis sentiat usum,  
Utque alios nostra sæpè juvemus ope.  
Hoc pertractandum Tibi dum præsumis, a-  
mice,

En meritò coeptis gratulor hisce tuis.

*Nobil. DN. Respondenti, Fautori suo honora-  
tissimo, scribeb.*

**Joh. Georgius Simon, D.**

---

**D**um cathedram ascendas svavissime amice Sophorum,  
Omnes ut videant studium gnævumque laborem:  
Gratulor ex animo tibi, mi BERMANNE, supremum  
Ut Numen ductis studiis insigniter adstet.  
Macte tuis coeptis sic te comitantur honores  
Ingentes, longè Tibi quos præstabit Apollo.

*hoc*

*Ex singulari Affectu apposuit*

**J. W. Wagner. A.H.**












Jena, Diss., 1681


(X 2403652)

VDT









DISPUTATIO <sup>13</sup>  
DE <sup>1681/12</sup>  
**SERVITUTIBUS**  
**PERSONALIBUS,**

*Quam*  
PRÆSIDE  
**PETRO MÜLLERO,**

J. U. D. & Prof. Ordin.

*Ad d. 12 Novembr. cl. loc LXXXI.*

In Auditorio ICtorum

publicè ventilandam sistit

**HENRICH EMERICH BEERMAN.**  
Esvvezenfis.

—————  
GENÆ, Characterè NISIANO.